

## Order of Saint Lazarus: Primary sources

---

King Frederick I. King entertains his son and vicar Ferdinand d'Aragon to take into consideration the demands of Jacques-Antoine d'Accacia, master of the hospital of St. Lazarus in Sicily dated 8th April 1501. Original document on parchment. Arch. Stor. Ord. Maur., Fondo San Lazzaro Mazzo 6, doc. VI.

- Transcribed in: R. Hyacinthe. L'Ordre de Saint-Lazare de Jérusalem au Moyen Age. Études & Communication Édition, Bez-et-Esparon, 2003, +253p. [doc XV]

Federicus Dei gratia rex Sicilie. Hierusalem et caetera, illustrissimo et carissimo filio primogenito Ferdinando de Aragonia, duci Calabrie, vicario et locumtenenti nostro generali, paterne benedictionis affectus. Ecclesiarum prelatos requirimus et hortamur, regni huius nostri magistro justiciario, eiusque locumtenenti ac iudicibus magne curie vicarie vicegerentibus quoque justiciariis, gubernatoribus, capitaneis, commissariis ceterisque officialibus et subditis nostris maioribus et minoribus quocumque nomine nuncupatis ac officio et iurisdictione fungentibus eorumque locumtenentibus presentibus et futuris, principibus insuper, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus terrarumque dominibus eorumque vicariis et officialibus, magistris juratis, baiulis, iudicibus, universitatibus et hominibus quarumvis civitatum, terrarum, castrorum et locorum huius regni, ad quos spectabit presentes pervenerint, seu fuerint propterea requisiti, collateralibus, consiliariis fidelibus nostris dilectis gratiam nostram et bonam voluntatem.

Quoniam magnificus atque religiosus vir Jacobus Antonius de Accia miles Capuanus generalis magister hospitalis Sancti Lazari in regno Sicilie citra et ultra farum consiliariusque fidelis noster dilectus consequi et habere debet nonnulla jura et bona ac res et hereditates certorum infectorum lepre morbo in dicto regno nostro Sicilie, ut eius expositione nobis facta didicimus quod morbos cum eorum bonis sunt ad loca eiusdem religionis canonice acquisiti, taliter quod morbo ipso infecti de eorum bonis aequaliter disponere nequeunt, et ipsos leprosos, cum eorum bonis ubicumque reperiri contingerit, accipere, reducere et cohibere eos segregando a sanorum cohabitatione ad domos siue hospitalia dicte religionis, necnon quia nonnulla bona dicte religioni et hospitali acquisita sunt decursis temporibus propter mortem et infectionem diversarum personarum in diversis locis dicti regni infectarum et in dictis hospitalibus et extra defunctarum que vere ad ipsam religionem et ad dictum magistrum ipsius religionis spectare noscuntur, et pro his consequendis de iusticia, auctoritate juris suorum privilegiorum intendit, pro se vel suum vicarium dictas personas et bona vendicare, subiuncto etiam quod sunt in eodem regno nonnulli falsi questores qui bona et jura ipsius religionis nequiter occupate et usurpare intendunt, contra omne juris debitum et in derogacionem et detrimentum dicti hospitalis: super quibus nostra provisione petita vobis, predicto filio nostro carissimo nostrum super his declarantes intentum, ecclesiarum prelatos hortamur, vobis aliis precipimus et mandamus expresse: quatenus ad omnem requisicionem ipsius Jacobi Antonii generalis magistri dicte religionis Sancti Lazari, seu eius vicarii vel procuratoris, in omnibus eius causis realibus et personalibus sive mixtis et in rem scriptis possessionibus et

pothecariis, contra quoscumque vocatis, vocandis summarie simpliciter et de plano sine strepitu forma et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, omni ordine iudicario pretermisso sine oblatione libelli, omni levato velo, frivolis appellacionibus, exceptionibus et calumniis quibuscumque reiectis iusticiam expeditam ministrare debeatis et tam circa premissa et eorum executionem quam pro captione et arrestacione atque punicione quorumcumque falsorum questorum dicte religionis et usurpatorum bonorum ipsius hospitalis eisdem praestetis omne auxilium, consilium et favorem opportunum, quibusvis provisionibus nostris cedulis mandatis atque rescriptis in debite et in preiudicium ipsius religionis et hospitalis concessis et expeditis nullatenus obstaturis, adeo quod reiectis quibuscumque iusticiam impredientibus, hospitale ipsum quod sibi spectare dignoscitur consequi possit et consequatur, contrarium non faciant pro quanto idem illustrissimus dux primogenitus noster nobis morem gerere cupit ac ecclesiarum prelati nobis complacere desiderant, ceteri vero officiales et subditi nostri pro quanto gratiam nostram caram habent iramque et indignationem nostras ac penam ducatorum mille cupiunt non incurere.

In quorum fidem presentes fieri fecimus magno maestatis nostre pendenti sigillo munitas. Datum in Castello Novo civitatis nostre Neapolis, per magnificum virum utriusque juris doctorem et militem ac auditorem et consiliarium nostrum dilectissimum Antonium de Raho, locumtenentem illustrissimi Don Goffredi Borges de Aragonia principis Sanillacii Cariatique comitis, regni huius nostri logothete et prothonotarii, collateralis, consiliarii ac nepotis et tanquam filii nostri carissimi, die octavo mensis aprilis MCCCC primo, regnorum nostrorum vero anno quinto.